

*DISSE*  
*SERTATIO EXEGETICO-*  
*THEOLOGICA,*  
DE  
**VERBO ABBRE-**  
**VIATO,**

*Rom. IX, 28. collat. cum Jes. X, 23.*

*Qvam*

*ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,  
ET CONSENTIENTE MAXIME REVER. THEOLOGOR. ORDINE  
IN ILLUSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI*

*PRÆSIDE,*

**ZACHARIA GRARIO,**

*SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. PUBL.  
ORDINAR. & AD ÆDEM CATHEDRALEM  
D. JACOBI V. D. M.*

*RESPONDENS*

**JOHANNES AURELIUS,**

*GOTHOBURGO-SVECUS.*

*Ad d. 9. Julii A.O.R. MDCCX. publico placidoque  
Eruditorum Examini submittit*

*H. L. Q. C.*

*ROSTOCHII,*

*Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat. Typographi.*

Coll. diss. A  
72, 42

*S. H. A. 172 (42)*

*三*

VIRO  
Præ-Nobilissimo, Amplissimo atque  
Prudentissimo  
DOMINO  
Dn. SEBASTIANO  
THAM,

Illustris Reipublicæ Gothoburgensis Senatori Gra-  
vissimo Meritissimoq; Templi S. Christinæ ut &  
Nosocomii Inspectori Fidelissimo,

*Domino Patrono atque Evergetæ  
æternum suspiciendo, devenerando*

*Has qualescumque studiorum Academicō-  
rum primitias ob beneficia plurima & planè paterna  
in me hactenus collata*

*in signum gratissimi animi consecrare,  
& porrò sui memoriam cum devoto*

*Voto pro incolumitate atque felicitate de publico  
optima merentis commendare voluit,  
debuit.*



JOHANNES AURELIUS.



בָּאַלְהִיּוֹת

## PROLOGUS!



Onumentum tristis illius devestationis corporalis populi Judaici inter alia est nummus multis servatus & visus, in quo effigies mulieris sub arbore sedentis & plorantis cum inscriptione: *Judea capta*, ex altera vero parte simulacrum Titi Vespasiani reperitur, vid. Jo. Hoornbeeck in tr. de *Convincend. Jud. in Proleg.* §. 5. p. m. 5. Non vero tam misera potest esse externa hæc populi Judaici facies, quam interna Ejusdem. Capta est Judea corporaliter & adhuc dum capta est nec libera. Sed non corporaliter tantum, verum etiam, quod eo magis dolendum est, Spiritualiter. Quam faciem si in alio nummo quis depingere vellet, exculperet in altera parte ipsam Satanæ effigiem, in altera ipsam hanc mulierem sub arbore non quidem plorantem, sed serenâ potius fronte ridentem, mediis in catenis, cum eadem, sed paulo immutata inscriptio: *capta est Judea sed captivitate accepta*. Non sine lacrymis autem nos imaginem hancce meditari possumus, dum nobiscum pensitamus antiquum quondam populi hujus splendorem, quo inter omnes gentes totius Universi eminebat, dum peculum erat ipsius DEI, & ecce illud jam sub potestate Satanæ captivum! peculum Satanæ! Et quod magis adhuc plorandum, lubenter sic catenas suas gestat, *scire nolens, quæ ad pacem suam faciunt* *Lac. XIX, 42.* Dubitasne adhuc? aspice populum in Christum Servatorem nostrum blasphemum, introspicie ipsa sacra, superstitionis avitos mores, & vincula hæc captivitatis hujus spiritualis quam maxime deprehendes, & exclamabis: Heu quantum mutatus ab illo! Quo in malo etiam perseverabit gens desperatissima. Quærisne ejus causam? Ecce populi malitiam summam! Indurarunt enim corda sua, atque hinc factum est, ut audierint, sed non intellexerint, ut viderint; sed non cognoverint, impinguatum est cor ipsorum. E aures ejus aggravatae ac oculis oblii, ne viderint oculis suis & auribus suis crudierint & cor ipsorum intellexerit, conversumque fuerit:

A 2

Verum

Verum enim vero O ineffabile DEI consilium ! O impervestigabiles ejus vias ! qvi pro imperscrutabili illa sua sapientia nihilominus tamen qvos-dam adhuc ex deperditissima illa gente salvare novit, ut exclamare debeamus ! Ω θεό ! Hoc est qvod nobis exhibit ἀγῶνα ille συντημένος, de qvo ex Rom. IX, 28. collat. cum Ies. X, 23. pauca qvædam commentari jam jam placet. Qvo autem ordine procedamus, perplacet nobis hac vice vel extemporaneum saltem discursum formantibus methodus Erotematica, qvâ potissimum ea, qvæ de Verbo illo abbreviato occurunt, certis qvibusdam qvæstionibus complecti studemus. Adsit nobis Divina Gratia omniaqve dirigat in Æterni sui Nominis gloriam, veritatisqve inquisitionem propter Vulnera Dulcissimi Servatoris Nostri ! Amen.

Dictum Apostolicum, circa qvod Erotemata nostra versantur hoc est : λόγον συντημένου ποίησε κύριος Πάτερ τοῦ γένους.

ונבריה טריא על ארעה i.e. faciet illud Dominus super terram. Nimirum, qvemadmodum ex præcedentibus repetendum est : מלחה Verbum illud qvod accidit. Pro qvo qvidem alii Codices legunt גַּם consummavit, annotantibus Mart. Trostio in Lexico Syriac. voc. גַּם p. m. 143. vid. & Tom. 6. Bibl. Polyglott. Anglic. p. m. 54. & Jo. Buxtorf. in Lexico Chald. Syr. in voce גַּם pag. m. 100.

Eadem ferme & Arabs & Armenus aliæqve versiones habent, B. Seb. Schmidt. in versione suâ latina ita : Verbum concisum faciet Dominus in terrâ. B. Lutherus ita : Der HERR wird dasselbige steuren thun auf Erden. ut alias versiones hâc vice prætereamus.

כל ה ונחרצת אדרני יהוה צבאות עשה בקרוב כל הארץ

اري גמoria ושייצאהוי : Qvæ verba Chaldæus ita expressit : אלחיהם צבאות עבר עם כל רשייעי בנו ארעה i. e. Qponiam consummationem & perditionem Deus Dominus exercitum fecit cum impiis in medio terræ. LXX. Interpretes, qvos Apostolus procul dubio secutus ita : λόγον συντημένον κύριος ποίησε τῇ οὐρανῷ ἔλαχ. B. Seb. Schmidt ita : Consummationem & definitionem Adonai Jehovi Zebaoth. (est) faciens in totâ terrâ. B. Lutherus : Der Herr HERR Zebaoth wird ein Verderben gehen lassen / und demselben doch steuren im ganzen Lande. Reliqvas versiones, cum nihil singularis habeant, merito hâc vice tacemus.

QVÆ-

## QUÆSTIO I.

*Quænam hujus dicti potiores attendendæ Circumstantie  
externæ, qui namque affectus?*

## §. I.



Ræ aliis quam maxime huc spectat dicti hujus præsentis nostri auctor. *Primarius* quidem est Spiritus S. uti totius S. Codicis, ita etiam cuiusvis ejusdem particulæ. *Secundarius* vero hoc loco est *vel scribens vel loquens*. *Persona scribens* in loco Apostolico est D. Paulus totius hujus Epistolæ ad Romanos auctor, de quo Commentatores in Prolegomenis in hanc Epistolam passim, quaque alias introductiones in S. codicem scripserunt. *Persona vero loquens*, cuius verba jam adducit Apostolus, est Prophetæ *Jesaias*. Alias quidem Prophetæ DEum quoque & Messiam perorantem introducere solet; hoc loco vero ipse Prophetæ *Jesaias* quamvis utique *Θεόπουλος* loquitur, quare & Apostolus expresse *Jesaiæ canticis seu loquentis* mentionem facit. Adducit autem Apostolus Prophetæ verba, quod præ aliis probe hic notandum est, non quidem, prouti ab ipso in idioniate Hebræo sunt prolatæ, sed prouti à LXX. *Interpp.* in Græcum sunt translata, quæ quidem ratione primæ translationis non fuere *Θεόπουλος*; per citationem tamen hancce *Θεόπουλος* utique in tantum, quantum convenient, canonizantur.

§. II. Spectat huc etiam *persona*, ad quam verba hæc proferuntur. Et quidem Paulus ea scripsit *Romanis*. Qui autem, quod omnino observandum, non tantum Cives fuerunt: sed & inqvilini Graeci & Barbari c. i. v. 14. Gentiles c. ii. v. 31. Judæi, quorum sub *Tiberio & Claudio* 8000. Romæ commoratos fuisse testatur *Josephus* l. 17. antiqu c. 12. qui quidem per unum baptismum perque unam fidem ad DEum unum erant adducti ingenio nihilominus multum adhuc inter se dissidentes deque prioritatis dignitate confidentes. Neque vero Conversis tantum; sed & convertendis eadem voluit dicta, vid. B. *Dn. D. Dannhäuser*. in *Disp. de profund. divit.* & *Sap.* & *cognit.* *DEI ex Rom. XI, 33. sqq. c. i. §. 8. p. m. 24. sqq.* Adeoque nunc in interpretatione

pretatione Epistolæ hujus probe dispiciendum, qvibuscum potissimum agat Apostolus nunc hoc vel illo loco. Præsentem qvod concernit, agit Apostolus potissimum cum Judæis in lege Justitiam suam qværentibus, prærogativas suas spirantibus, seqve ambitiose præ Gentilibus efferentibus, & argumenta sua propterea proferentibus. Qvibus solvendis se accingit Apostolus c. IX, X, & XI. Eosdem etiam alloquitur Propheta, qvamvis in alio qvodam statu tum constitutos. Qvippe ob invasionem, qvam Rex Israël & Rex Aram intendebant, Rex Judæ Achas sat alias animosus in prævaricando deposita omni confidentia cum populo suo instar arborum Sylvæ à vento cooperat moveri, & metu perculsus, qvīd factu opus esset incertissimus, ad Tiglat Palescher vero de foedere sollicitantem legationem meditabatur 2. Reg. XVI, 5. sqq. Jes. VII, 1. sqq. Ad hos nunc adeo consternatos tota hæc Prophetæ Jesaiæ Oratio est directa. Eqvidem R. Salomo Isacides in Comment. in h. l. in Bibl. Buxtorf. putat, sermonem huncce esse directum ad Regem Hiskiam. Sic namq; dicit. : אסר לְחֹקִירָהו :

**הַנְּכִיא עַם יְהִיָּה עֲסָר בְּחֹל הַיּוֹם וְגַם** *Ad Hiskiam loquitur Propheta: si erit populus tuus sicut arena maris.* Idem & sentire videtur R. David Kimchi, qui explicationem simul de 10. tribubus facit, quando in Bibliis Buxtorffianis in h. l. ita: **זֶה אָמַר עַל עִשְׂרַת הַשְׁבָטִים:** *shbṭim* שְׁבָטִים לאל בֵּית יְהוָה קָרְבָּן וְהוּשׁוּם **הַאֱלֹהִים שְׁנָלוּ וְהַשָּׁאֵר יְהוָה וּבְנֵיכֶן** שׁבו לאל בֵּית יְהוָה קָרְבָּן i. e. Et hæc dicit de 10. tribubus, quæ abductæ sunt, cum reliquiae Iuda & Benjamin converterentur ad DEum diebus, Hiskia, & liberasset eas DEus à manu Regis Assyria. At vero nullum vestigium est in textu, qvod vel de 10. tribubus, vel de Rege Hiskia hic sit sermo. Complementum namq; vaticinium hocce habet in N. T. teste infallibili Paulo in præsenti nostro loco Apostolico. non ergo ad Hiskiam compellatio hæc fieri potuit. Neq; etiam convenit hoc vaticinium temporibus Hiskiae. Hinc ergo Rabbinos rectissime rejicit B. noster Dn. Sam. Bohlius in Commentar. Bibl. Rabbin. super orat. tert. Esa. c. 16. p. m. 227., & contra putat, potius ad Jacobum Patriarcham jamdudum demortuum sermonem huncce esse directum. Sic namq; existimat, objici potuisse: Si pauci convertendi sunt, pauci itidem remanebunt in terra, plurimi excidendi, plurimi damnandi. Ubi robur & adimpletio promissionis factæ patribus, qvod semen ipsorum cum arena maris certaturum sit? Qvare jam autumat Bohlius, converti orationem ad eum

eum, cui hac promissio est facta & inpr. Gen. XXVIII. inq; hunc modum responderi: *Quod tibi Jacob est promissum re ipsa præstabitur. Nam semini tuo hæc promissio facta est, non ergo semini Sodom & Gomorræ. Dedi filiis tuis terram hanc, multiplicabuntur etiam ut cum arena maris certare poterint. Ergo esto, sicut iam tui filii, sicut arena maris, tamen tantum pauci jam servabuntur. Nam consumtio concisa inundans est justitiam. Nam consummationem facit Dominus &c.* Sed nihilominus tamen & ad Judæos tunc temporis facta hæc allocutio spestat. Qvibus adeo & Propheta & Apostolus hæc verba voluerunt dicta esse.

§. III. Circumstantiæ temporis & loci itidem hic considerati solent. Sunt autem illæ in præsenti dicto Apostolico eadem, qvæ totius Epistolæ. Præ aliis saltem notari potest circumstantia temporis, qvod fuit initium N. T. & Ecclesiæ plantandæ, atqve ex Judæis & Gentilibus colligendæ. Qvo tempore scilicet Judæi in fide adhuc infirmi, vel etiam pertinaces non percipiebant vias hasce Domini, qvod & Gentiles ad Ecclesiam N. T. pertinerent, inde variae tentationes, & præconcepptæ opiniones de prærogativis suis, qvæ & plane degenerabant in dissidia, dum præ Gentilibus efferre se se conarentur. In qvibus autem compонendis jam occupatus est Apostolus. Prophetam qvod concernit, tum jam indicavimus generaliter, qvando hæc verba protulerit, nempe illo tempore, qvo ob imminentem, & attentatam hostium invasionem & Rex & subditi magno tremore perculsi. Qvæ circumstantia generalis sufficere hac vice potest. Specialius R. Aven Esra in b. l. de hoc tempore ita: **זאת חנביאה היהת בתחת ילה מלכות אח**; *Hæc Prophætia facta est in principio Regni Achas.* Et ad huc specialius omnia inquisivit B. Dn. Bohlius, l.c. c. 1. p. 5. seq. Qvæ vero prolixius adducere hac vice instituti ratio non permittit, in primis cum & præsenti nostro dicto tantam adeo non affundant lucem. Qvam ob causam & de Circumstantiæ Loci prolixe non disputamus, utrum fuerit extremitas illa aquæ ductus piscinæ superioris ad semitam agri fullonis, cuius fit mentio Jes. VII. 3. Ut qvidem putant, qvi capita hæc Jesaiæ 7. 8. 9. 10. 11. 12. pro una continuata oratione habent, ut B. Bohlius l.c. p. 13. seq. num vero alias fuerit locus, si cum aliis in hisce capp. distinctas orationes quis velit statuere. Qvæ vero cum jam scopo nostro non interferviant, merito mittimus.

## §. IV.

§. IV. Ex affectibus notari potissimum potest ille auditorum, de quo vero ex circumstantiis jam allatis, impr. temporis judicari potest. *Paulus* egit cum iudeis tum temporis arrogantibus, jactabundis, gloriabitibus, ferventibus, Zelantibus, emulantibus, ac invidentibus. Contra vero *Iesaias* habuit quidem auditorium maxime timidum & desperabundum ferme ob imminens belli periculum; attamen & in spiritu simul respiciebat futura illa N. T. tempora, de quibus cum ipsi sermo est, praedit omnia nonnullos forte ea, quae praedicebat, sibi non persuasuros; sed forte de praetensis prærogativis suis corporalibus gloriaturos. Atque hinc & ad horum genium jam stylum suum attemperavit Propheta, quemadmodum ex scopo patebit. Et hac ratione Apostolus cum Propheta quam optime convenit.

## QVÆSTIO II.

*Quisnam Dicti præsentis scopus?*

### §. I.

**D**icti nostri Apostolici scopus eruitur ex connexione cum antecedentibus. Jam egypti institutum nostrum non est, prolixius integrum hoc caput IX. resolvere, aut contra Calvinianos aliosque scopum Apostoli vindicare. Qvod præter Commentatores Nostratium passim, & alii sat solide jam præstiterunt v. g. B. Dn. *D. Dannhauer.* in Disp. de profund. divit. c. 1. §. 9. sqq. B. Dn. *Jo. Schröder.* in anal. c. 9. Ep. ad Rom. Enchirid. Theol. annex. p.m. 449. sq. B. Dn. *D. Fridem. Beckman.* in pecul. disp. quæ est inaug. D. D. Treuner exhib. Sciagraph. Anal. 9. cap. ad Rom. B. Dn. *D. Val. Alberti* in disp. de probata probationis de absolut. elect. & reprob. improbat. ex Rom. 9. Lips. Ann. 1688. hab. B. Dn. *D. Jo. Winckler* in der kurzen Erklär. der schwersten vers des IX. Cap. an die Römer in Append. der Außführl. Betracht. über etl. Spr. H. Schrifft. Qvod scriptum & seorsim prodit. Idem & videtur velle recens aliquis *Anonymous* in der vorsichtigen Erklärung des IX. Cap. an die Römer/ ex Lat. in germ. translat. Ann. 1708. ut alios nunc taceamus. Sed nos breviter saltem ea notamus, quæ lucem aliquam dicto nostro dare possunt. Sic autem Apostolus in antecedentibus ostenderat contra Iudeos, non carnalem generationem, quam adeo jactitayerant; sed unice gratiam Chri-

M

sti causam esse veræ filiationis DEI , idqve exemplo duorum filiorum Isaaci probaverat, vide id perqvam solidissime deductum à B. Wincklero l. c. Ex eo nunc forte objici poterat , redundare in DEum injunctiam qvandam , qvod non habeat rationem carnalis generationis, atqve sic non tribuat id ei , cui id debeatur ? Ad *objectionem* hanc responderat Apostolus v. 15. 16. 17. 18. Adversus ea porro excipiebant Judæi gloriabundi v. 19. Qvod si ita à voluntate DEI omnia pendeant, injuste se accusari , addita ratione , neminem voluntati ipsius restitisse, ut qvidem Pharao , de quo in præcedentibus sermo fuerat , qvare & adhuc supersint , nec à DEO deleti per iram ipsius. Sed & ad hæc *respondet* Apostolus (1) ad *objectionem* ipsam: *quid accusat?* regerendo , neminem hominum litigare posse cum DEO , impr. eum qvem DEus vult præparare ut vas misericordiæ, qvi tamen malitiose resistit , ut qvalis qvidem jam erat excipiens hæcce. Non posse istiusmodi hominem DEO contradicere , qvemadmodum figmentum factori , & lutum figulo non potest obloqvi , ita multo minus hominem malitiosum , gratiæqve DEI præfracte resistantem DEum arguere posse , utpote qvi in istiusmodi homine graviorem reperit causam , qvare eum rejiciat , qvam qvidem fulgulus in luto , v. 20. 21. (2) ad *objectionis rationem:* *voluntati ejus quis restiterit?* &c. hæc reponit : DEum qvidem utique iram suam demonstrare posse resistantibus voluntati suæ , & potestatem ejus hic æque liberam esse erga vasa iræ , ac potestas figuli est erga lutum ; sed tamen dirigere DEum hanc potestatem suam in commodum vasorum misericordiæ , proptereaqve longanimitate uti , qvia nihilominus tamen nonnulli semper , qvam minimus etiam eorum numerus , convertuntur , v. 22. 23. Tandem autem nunc ostendit , qvinam illi sint ? Esse nimirum non tantum Judæos ; sed & Gentiles , qvi & earundem , qvamvis Spiritualium prærogativarum , qvas sibi solis prætendebant Judæi , debebant fieri participes , v. 24. Hos ex plane singulari misericordia vi vaticinii ex Hoseâ , v. 25. 26. illos autem itidem qvidem ex Gratia , sed non etiam sine singulari judicio in eos , qvi ex tanto numero Gratiae huic malitiose restiterunt. Idqve probat ex *Vaticinio Jesaiæ cap. X.* ubi prædictum , qvod qvamvis qvidem magnus sit populi numerus , paucos tamen saltem esse salvandos , ut adeo non haberent , qvod decarnali generatione sua gloriarentur , & simul viderent , qvo modo non in omnes propter malitiosam resistantiam DEus iram suam & justitiam ma-

B

nifestare

nifestare statim, sed & propter hos paucos longanimitate uti voluerit. Verbum enim confecisse Dominum, Verbumque concisum fecisse v. 27. 28. Scopus ergo dicti nostri est, ostendere rationem, quare adeo pauci salventur, & ob quos tamen reliquorum animabus hactenus parcere voluerit Deus, nempe esse decretum illud divinum ex ingenti illo Judæorum numero, qui temporibus ultimis Reip. Judaicæ reperiantur, paucos illos salvandi, quorum fidem ab æterno præviderit Deus, qui nimis Messiam illum tempore N. T. essent agniti & recepturi præ illis, qui eundem malitiose rejecturi. Ob hoc ergo decretum non delevit unâ vice omnes & singulos Judæos; sed ob credituros & propter meritum Christi fide apprehensum salvandos pepercit & animabus contumacissimorum ac resistantium, quemadmodum & quotidie accidit.

§. II. Scopum Prophetæ quod concernit, neque hic prolixitatē indulgere fert animus, ut varias variorum sententias examinemus. Sed id unicum saltem observamus. Postquam Propheta in antecedentibus, ut animos populi à Rege Assyriorum averteret, interitum ejusdem prædixisset, jam *versu. 20 c. X.* incipit agere de felicitate N. T. ut erigeret timidos in populo, prædicendo, residuum Israelis conversum iri ad Dominum. Ne vero sese efferant Judæorum animi, non sine emphasi idem repetit *v. 20.* additâ *v. 22.* magnâ notula, quasi dicat: *Notanter Et ter dixi, quod residuum Israel reversurum sit ad Deum. Volui namque diligentissime observari.* Prædico enim vobis tanquam certissimum, quod quamvis populus Israel futurus sub N. T. sicut arena maris, non tamen omnes; sed electi ex eo ad Messiam se conversuri sunt, contra, quamjam incipiunt sibi multi imaginari, quemadmodum sic connexionem cum Brentio facit *Seb. Schmidt in Comment. in Jesa. in b.l.p.m. 116.* Licet ergo sic multi forte sub specie multarum prærogativarum aliud promitterent; nihilominus tamen stat sententia: Pauci saltem reliquentur. Atque futuri hujus eventus nunc redditur ratio, petenda scilicet à decreto divino, prævisam habente Judæorum contumaciam, ac impenitentiam impr. tempore N. T. quo Resp. Judaica ultimum suum habitura erat terminum, & ex quorum contumacissimorum alias numerosissimo cœtu pauci tamen hi convertendi & ob fidem suam salvandi forent, quam fidem sic præviderat Deus *vers. 22. Et 23. conf. adhuc Seb. Schmidt l.c.*

QVÆ-

# QUÆSTIO III.

*Num per Verbum abbreviatum intelligatur hoc loco  
Evangelium, ejusque prædicatio?*

§. I.

**O**Vamplurimi ex Patribus λόγος συντετμημένος explicarunt de Evangelio, ejusque brevitate præ antiquæ legis laciniosa amplitudine juxta illud Bartholomæi relatum à Dionysio Pseudo-Areopagita de *Myst. Tb. c. 1. Theologia plurima & minima, Evangelium latum & magnum, parvumque & concisum.* Sic & Tertull. l. 4. contr. Marcion. p. m. 219. Quomodo, inquit, decisum sermonem faciet Dominus in terrâ. Compendiatum est enim novum testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum. Et Cyrilus Alexandrinus in *Comment. in c. 10. Jes. Tom. 5. Opp. p. m. 130.* eundem in modum verbum hocce interpretatur. Sic namque scribit: *Verbum concisum, seu abbreviatum fecit Deus in orbe terræ.* Lex enim per Mosen data per longas ambages venit & contorto quodam circuitu, quod utille erat indicavit, per ænigma & umbram vix subinnuens, quod ad usum, atque utilitatem pertinet. Salutaris autem & Evangelica Oratio nobis brevis est, & veluti concisa, ac contracta, nudam habens veritatem, & vitæ viam planam constituens, non impedita difficultatibus, non obscuris præconiis obvelata &c. Sic & Hieronymus in c. 10. Jes. Tom. 5. Opp. p. m. 46. Abbreviatus autem atque perfectus sermo evangelicus est: qui pro cunctis laciniosæ legis ceremoniis, dedit præceptum brevissimum dilectionis & fidei, ut quod nobis fieri noluerimus ne fecerimus alteri, unde & dominus in Evangelio: in his inquit duobus mandatis pendet omnis lex & Prophetæ. Idem D. Chrysostomus Homil. 16. in Ep. ad Rom. Tom. 4. Opp. in N. T. p. m. 243. habet, cuius verba ex versione latina ita sonant: *Quod autem ait (nempe de sermone abbreviato) hunc habet sensum: non opus est circuitione, non laboribus non afflictione ea, quæ ab operibus legalibus existit, sed magno cum compendio salus presto erit.* Tale quid enim est fides in paucis verbis habet salutem. Si enim confessus fueris ait, in ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitaverit a mortuis, salvus eris. Vides quid sit: sermonem abbreviatum faciet Dominus in terra? & quod sane mirum i. e. quod videlicet brevis hic sermo non sa-

B 2

Intem

ludem modo sed & justitiam attulit. D. Augustinus paria habet in Exposit. qvarund. propos. ad Ep. ad Rom. Tom. 4. Opp. p. m. 1207 Verbum enim consummans & brevians faciet Dominus super terram. Remotis enim innumerabilibus & multiplicibus sacramentis, quibus Judaicus populus premebatur, per misericordiam DEI factum est, ut brevitate confessionis fidei ad salutem perveniremus. vide & eundem in Ep. 205. p. m. 837. D. Ambrosius in præfat. ad Ep. ad Galat. Tom. 5. Opp. p. m. 326. ita : non cernunt sensum Esiae Prophetæ inter cetera dicentis : Verbum enim consummans, & brevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Si ergo hæc dicta intelligerent, à lege recederent scientes à prædicatione Joannis Bapt. legem jam cessare ut sola fides sufficiat ad salutem abbreviata ex lege. Præprimis & Cæcil. Cyprian. in tr. de Orat. Domin. p. m. 151. prolixius mentem suam hic expavit, inter alia & his verbis : Quid mirum fratres dilectissimi, si oratio talis est, quam DEus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit? Hoc jam per Esiam Prophetam fuerat ante prædictum, cum plenus Spiritu S. de DEI majestate ac pietate loqueretur verbum consummans inquit & brevians in justitia: quoniam sermonem breviatum faciet DEus in toto orbe terræ. Nam cum DEI sermo Dominus noster I. C. omnibus venerit & colligens doctos pariter, & indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit: præceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplinâ cœlesti discientium memoria non laboraret. Sed quod esset simplici fidei necessarium velociter disceret. Sic cum doceret, quid sit vita æterna, sacramentum vitæ magna & divina brevitate complexus est dicens : Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum & verum DEum, & quem misisti Iesum Christum. Item cum de lege & Prophetis præcepta prima & majora decerperet: audi inquit Israel, Dominus DEus tuus DEus unus est. Et diliges Dominum DEum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua: hoc est primum mandatum, & secundum simile est huic: dilige's proximum tuum tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Eitterum, quæcumque volueritis faciant vobis homines bona, ita & vos faciat illis: Hæc est enim lex & prophetæ. Eidem interpretationi ex antiquioribus adhuc favent Justin. Mart. in dial. cum Tryph. de ver. Relig. p. m. 290. Theodoret. in Ep. ad Rom. cap. 9. Tom. 2. opp. p. 32.

Gaudens.

Gaudent. Brixiensis serm. de Maccabaeis, Euseb. Pamphil. de demonstrat. Evang. l. 2. c. 4. p. m. 64. & ut alios nunc taceam Origenes quoque l. 2. in Ep. ad Rom. Tom. 3. Opp. fol. m. 197. col. 4. sq. hunc dicti nostri sensum dat: possumus autem & totius doctrinæ verbum dicere breviatum, ut quod prius lex & Prophetæ continebant in latitudine præceptorum veniens Dominus pronunciaret: Et diceret, diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo: ex totis viribus tuis: & ex tota anima tua: & proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis pendet omnis lex & Prophetæ. In quo evidenter Prophetas & legem duabus his sermonibus breviavit. Antiquioribus his calculum ex recentioribus adjiciunt Hector Pintus in Comment. in Jes. Tom. 1. opp. p. m. 110. quamvis eodem loco & aliam proferat suam sententiam de statuto nimirum qvadom divino, & Clarius, qui partim in Jes. Tom. 1. Criticor. Sacr. p. m 2364. partim in Ep. ad Rom. Tom. 4. Crit. p. 2688. de compendiosa fidei prædicatione compendioqve salutis explicat hoc verbum abbreviatum, & legis fatigationibus id opponit. Vide & alios apud Polium in Synops. Critic. in b. l.

§. II. Præsupponimus nos, non esse sermonem de quali qualicunque accommodatione ex piâ qvâdam interpretis alicujus meditatione facta; sed de vero ac genuino sensu ab ipso Spiritu S. intento. Priori modo concedimus, piam aliquam meditationem institui forte posse, qvemadmodum & B. Dn. D. Scherzerus in Brevic. Theol. in prefat. ad lect. inde ansam qvandam summis cogitandi de verbo qvodam abbreviato, docendiqve compendio, qvod & in hoc ipso Breviculo exposuit. Posteriori vero modo λόγος συντελεθερός non respicit doctrinam illam Evangelii ita abbreviatam, ut qvidem hactenus ex adductis testimoniosis percepimus. Nam (1) si inspiciatur contextus tam Prophetæ quam Apostoli plane nulla hic est connexio. Agitur enim utrobiqve de paucis qvibusdam ex numerosissimo illo Judæorum numero convertendis. Jam vero qvalis connexio: pauci saltem ex Judæis convertentur, qvia nimirum Evangelium suum dedit Deus, ex lege abbreviatum? connexio certe nulla. (2) nec interpretatio respondet ipsi verborum sensui. Potissimum hic respiendiens est fons Hebraeus, cum quo necessario & Græcus conciliandus est. Jam vero τὸ καλλιτελέχθη plane nullo modo significat abbreviatam illam Evangelii doctrinam, uti ex ipsis vocibus est ad oculum, non ergo & græca Λόγος συντελεθερός huc trahi possunt, (3) interpretatio hæc etiam

etiam est contra analogiam fidei. Nam (a) legem DEI perfectissimam & immutabilem facit mutabilem, quasi aliquid de ea abbreviari posset, quod est contra expressam literam Deut. IV. 2. c. XII, 32. (B) Christum facit novum legislatorem, & veteris legis abrogatorem, cum tamen Christus venerit, non ut abrogaret, sed ut impleret legem Matth. V, 17. (y) aperte legem cum Evangelio confundit. Quæ tamen confusio quam maxime est evitanda. Hinc Beza in not. ad c. 9. Rom. judicat, *nonnullos præsertim Græcos Hebrææ Lingvæ prorsus imperitos non recte ita interpretatos esse.* Sic & ex ipsis Pontificiis, qui præ aliis sententiæ huic favent Casp. Sanct. in Comment. in Jes. p. m. 131. quamvis fateatur se amplecti illorum Patrum sententiam, qui hic aut DEI filium, aut Evangelium intelligunt; simul tamen testatur, se non totum abire in hanc sententiam. Quamobrem & plane aliam affert interpretationem: Cornelius à Lapide hunc sensum non quidem literalem, at tamen Symbolicum vocat & allegoricum, in Comment. in Jes. p. m. 157. & in Comment. in Ep. ad Rom. p. m. 137. Sed ex hypothesi Pontifícia loquitur, uni dicto varios passim sensus affingens; quæ vero hypothesis satis superque jam est explosa.

## QVÆSTIO IV.

*Num Verbum abbreviatum denotet Symbolum Apostolicum,  
vel etiam pericopas Evangelicas?*

### §. I.

**N**onnulli *Symbolum Apostolicum* per hoc verbum abbreviatum intellexerunt. Inter quos esse videtur Origenes, qui præter illum sensum jam supra recensitum l. c. & hunc dat: *potest verbum breviatum dici fides Symboli quæ credentibus traditur, in qua totius mysterii summa paucis nexa sermonibus continetur.* Eodem modo Ruffinus initio explicat. in Symb. per verbum illud intelligit regulam fidei, scilicet *Symbolum Apostolorum* tam paucis tam multa complexam. Idem habet Cassianus l. 6. de Incarnat in Operibus Damasceni p. m. 1272. *Symbolum, inquit, ut scis ex collatione nomen accepit quod enim græce σύμβολον dicitur, latine collatio nominatur.* Collatio autem ideo, quia in unum ab Apostolis Domini totius Catholicæ legis fide quicquid per universum diversorum voluminum corpus immen-

f. 10

*sa funditur copia totum in Symboli colligitur brevitate perfecta secundum illud Apostoli: Verbum inquit, consummans & brevians in agitate quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Hoc est ergo breviatum verbum, quod fecit Dominus, fidem scilicet duplicitis testamenti sui in pauca colligens sed sensum omnium scripturarum in brevia concludens &c.*

§. II. Verum enimvero eandem hæc interpretatio meretur, censuram, quam meritus fuit Christ. Lupus, qui in *Schol. ad Tertull. c. 20. de prescript. Joannem* in *Ep. II, 10.* ad Symbolum Apostolicum respicere contendit. Et in *Scholiis & dissertat. ad canones & decreta generalium & provincialium Synodorum. part. 1. p. 7.* à Paulo in *Ep. ad Hebr. c. VI, 1.* per sermonem inchoationis Symbolum Apostolicum exprimi suspicatur, contra quem vid. Magni quondam Theologi, cujus nuperum obitum universa orthodoxa adhuc luget, & lugebit posthac Ecclesia B. Dn. D. Ittigii *Heptad. Dissert. 1. c. 8. n. 9. p. m. 149. sqq.* & in *Hist. Eccles. prim. Sec. p. 94.* ubi & de aliis adhuc conjecturis de Symbolo hocce judicat. Circa præsentem locum observamus nos (1) Arduam omnino quæstionem esse, nec evictam, Symbolum illud vulgo Sic dictum Apostolicum, in ea quidem forma, in qua hodie extat, esse ab Apostolis. Nos quamvis quidem ad stipulari non possumus Sandio qui in *Nucl. Hist. Eccl. l. 2. p. m. 167.* in Concilio Nicæno Nicænum quidem Symbolum ab Homousianis; Apostolorum vero ab Arianis esse compositum, neque aliis, quos allegat & refutat B. Dn. Tenzelius in *dissert. de Symb. Apostol. n. 10. in Exercitat. Sel. part. 1. p. m. 12.* (B. quidem Dn. Schurtzleischium hic notari nonnulli volunt) qui Pelagianis hoc Symbolum tribuunt: Attamen nec Pontificis, Dreiero, aliisque assentiri possumus, Symbolum hocce integrum ac verbotenus ab Apostolis esse compositum. Nolo hic prolixè repetere argumenta, quæ alii collegerunt, vid. supra laudatum B. Dn. D. Ittigium ll.cc. B. Tenzel. l. c. Gisbert. Voët. in *Dispp. Sel. part. 1. p. m. 64. sqq.* Sam. Basnage in *Exercitat. Histor. Crit. de rebus sacris p. m. 471. sqq.* Ger. Jo. Voss. de 3. Symb. *dissert. 1.* aliosque, quos tacemus hac vice, de quibus Ittig. in *Hist. Eccl. Sec. 1. p. 82.* Certe si ab Apostolis fuisset, procul dubio *Lucas* in *Actis* id memorasset, neque tot accessiones fuissent factæ, de quibus auctores modo citati, quibus adhuc adde Jacob. Usserium de *Rom. Eccles. Symbol. Apostol. vetere p. m. 6. sqq.* & quæ

& quæ sunt istiusmodi argumenta alia. Quæ & ex ipsis Pontificiis acceptarunt Laurent. *Valla*, *Erasmus*, & nuperime *Ellies du Pin* Tom. 1. *Biblioth.* qui etiam suam sententiam adversus *Anonymum Censorem* (quem nonnulli volunt esse *Petitdidier*) vindicavit in *respons* qvod habetur Tom. 6. *Biblioth. nov.* p. 27. Qvod si nunc igitur Symbolum illud nunquam ab Apostolis fuit visum, nec hoc loco λόγῳ ille οὐνετημένῳ illud ceu immediate Divinum qvid significare potuit. (2) posito etiam, non tamen concessso, Symbolum hoc esse ab Apostolis, ne sic qvidem in præsenti nostro dicto possit intelligi. Nam æque minus ac si de Evangelio exponitur, commoda quædam hic est connexio, de qua jam in *præced. qu. diximus*. (3) nec convenient Symbolo huic ipsæ voces in dicto nostro occurrentes, non græcæ: *Verbum enim abbreviatum procul dubio ita erit explicandum*, ut breve qvidem sit, non tamen mancum & mutilum: Atqve sic in hoc sensu Symbolum Apostolicum istiusmodi verbum dici nequit, quia admodum mancum est, defunt quippe articuli scitu quam maxime necessarii ad salutem v. g. *de Redemtione*, *de Gratiae DEI & meriti Christi universalitate*, *de Justificatione &c.* vide *Systemata* passim. Multo minus vero Hebrææ voces apud *Jesaiam* occurrentes hic convenient. (4) Qvod si etiam Symbolum hocce intelligatur quoad prima sua initia, quæ B. Dn. D. *Schomerus* in *Colleg. MS. ad B. Calov. Theolog.* & B. Dn. D. *Ittig.* in *Hist. Eccles. Sec. 1.* p. 83. Apostolis tribuunt, nec hoc respici poterit, in eo, qui prætenditur sensu, quia adhuc brevius est, nec cum scopo ac arguento textus interpretatio conciliari commode potest. (5) Autores hujus interpretationis qvod concernit, tum inter eos *Origenes* de sententia sua adhuc est dubius, uti ex ipsis verbis ejusdem videre est, si conferantur cum antecedentibus, in quibus plane aliam dederat sensum, de quo vid. *præced. question.* Et præterea etiam notissimum, *Originem*, magis *Mysticum* aliquem, eumque qvidem à Sp. S. non intentum, quam literalem & intentum sensum indagasse. *Rufinum* multa absurdâ statuisse, non saltem *Hieronymus*; sed & alii iudicarunt. *Cassiani* scripta utrum genuina, adhuc sub judice lis est. Spuria ea esse judicavit *Gelasius*. vid. B. Dn. *Jos. Arnd.* in *lexic. Antiquit. Eccles.* p. m. 1007. & *Rivet.* in *Crit. S. l. 4. c. 17. p. m. 437. sq.* Et si etiam omnia genuina, ne sic tamen auctoritas Patrum nos obligat in Exegesi, imprimis si contrarium necessitas urgeat. Qvare & hic sensus

sensus rejicitur à Theoph. Raynaudo in tr. de Christo DEO homine l. 2. Sect. 5. c. 8. Tom. 1. Opp. p. 203. sq. ubi judicat, non esse hoc regulæ fidei particulare, & de toto verbo revelato sic aptius explicari quam de solo symbolo, ut fecit Athanas. in Ps. 44. cuius hic locus refertur à Niceta Heracleensi in Catenâ Psalmorum: *Velox est calamus Patris, lex namq[ue] nobis per ductus literarum per obscure significavit ea, quae ad utilitatem hominum.* Salvator vero communis in compendio declaravit nobis voluntatem Patris. *Est enim magni consilii Angelus.* Et verbum inquit abbreviatum faciet Dominus in universo orbe. De qua tamen interpretatione jam egimus in præced. Qu.

§. III. Alii ex Pontificiis de pericopis Evangelicis brevioribus Verbum hoc abbreviatum explicarunt ap. B. Wellerum in Annotat. in Ep. ad Rom. p. m. 570. Quid autem de hac sententiâ sentiendum ex ha-  
c tenus jam jam allatis judicari satis poterit. Vel enim jam allegasse sen-  
tentiam hanc est refutasse.

## QVÆSTIO V.

*Annon Verbum hoc abbreviatum denotet CHRISTUM?*

### §. I.

**E**t de Christo nonnulli Verbum hoc abbreviatum explicare volue-  
runt. Ex Patribus sententiam hanc fovet Cyprian. l. 2. testimon.  
adv. Judeos ad Quirin. n. 3. p. m. 32. ubi probans, Christum esse  
λόγον hunc quoque citat locum. Ita & ad Christum applicat  
hoc dictum Hieron. Ep. 105. ad Hedibiam. Et pius Bernhardus Serm.  
1. de Nativ. Dom. p. m. 52. statim in initio his incipit verbis: *Grandis  
quidem est Dilectissimi hodierna Dominicæ Nativitatis solemnitas: sed  
dies brevis cogit breviare sermonem.* Nec mirum si facimus nos breve  
verbum, quando & Deus Pater verbum fecit abbreviatum. *Vulnus nosse  
quam longum, quam breve fecit? Cælum inquit (hoc verbum) & terram  
ego impleo.* Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio. A seculo  
aet Prophetæ & in seculum tu es Deus, & ecce infans est factus diei unius.  
Eadem & habet alio serm. 1. in vigil. Natiu. Dom. p. m. 34. Et serm. 3.  
in Annunciat. p. m. 112. Christum itidem vocat Verbum qui-  
dem abbreviatum; sed vivum & efficax, & ancipiti gladio penetrabi-  
lius. Ex recentioribus quamplurimi ex Pontificiis eidem sententiæ fa-  
vent.

C

vent.

vent, imprimis Theoph. Raynaud. in tr. de Christo DEO homine l. 2. sect. 5. c. 8. n. 348. Tom. 1. Opp. p. 204. sq. Ubi inquirit in Prophetæ & Apostoli intentum, quod est juxta eundem, probare, reliquias populi Israelitici etiam si induratissimi salvas fore. Nihil enim potuit ad eam rem confirmandam proponi aptius, juxta eundem, incarnatione verbi, ac redactione in angustum ad operis illius executionem. Hanc interpretationem quoq; Idacii Clarii fuisse probat Raynaudus l. c. n. 349. p. 205. ex disp. Ejusd. adv. Varimodum, quæ extat in Biblioth. Patrum, ubi ita: *Verbum breviatum quod Dominus faciet super terram non imminutionem Deitatis in Filio DEI significat, sed dispensationem suscepæ carnis adnunciat.* Et c. Qvæ sententia juxta Raynaudum totidem ferme verbis legitur etiam apud Anacletum Ep. 2. in fin. Provocat quoq; ad Cyprian. & Bernhard. ll. cc. item ad Ethereum & Beatum l. i. contra Elipandump. 747. Idem Raynaudus n. 350. p. 205. sq. hoc refert contractionem ad foramen tanquam prædictæ abbreviationis adumbrationem. & n. 51. p. 206. sq. contractionem Eliæ ad orandum & Elisæi super puerum.

§. II. Sed vero & hic præsupponimus, non esse sermonem de qvali qvalicunque applicatione; sed de sensu à Spiritu S. intento, dicimus, ἀόγει οὐντετμημένει huncce non posse explicari de Christo. Prob. (1) qvia nec hic commoda qvædam datur connexio; qvomodo enim hæc cohærent: pauci saltem ex Judæis sient salvi; reliqui autem propter impenitentiam suam peribunt: Christus enim veniet, & in angustum redigetur. Eqvidem non male sese explicat Raynaudus in applicatione ad Christi exinanitionem; non tamen scopum Apostoli & Prophetæ adæquatum, & totalem: sed partiale duntaxat attigit, cum omnino totalemdebuisset respicere, & sic apparuisset, applicationem minus commode fieri. Non enim Apostolus & Propheta tantum docent, reliquias populi Judaici salvandas esse; sed hoc simul etiam volunt, maximum partem perituram esse. Atque sic connexio illa à Raynaudo facta commode locum habere nequit. (2) Nec commode ipsa phrasis Christo competit. Non movebo hac vice qvæstionem: num vocabulum ἀόγει præter Johannem etiam aliis N. T. Scriptoribus sit usitatum? Qvam motam vide apud Hermann. Wits. in Miscell. Sacr. Tom. 2. Exerc. 3. & Jo. Marck. in Biblicis Exercitat. ad 50. loca V. & N. T. Exerc. 36. n. 5. sqq. p. m. 770. sqq. Id tamen asserimus, licet qvidem Christus recte vocari possit ἀόγει, cum tamen minus recte intelligi hoc loco in integra phrasi qvâ

quà DEus dicitur λόγος συντετμημένος ποστίν, imprimis & si conferatur illa phrasis cum loco prophetico, inqve eo occurribus vocibus Hebraicis כלה ונחרצת ex qvibus plane nullum λόγῳ παρασκεύαι convenit. (3) Patrum interpretationes magis piæ sunt meditationes & accommodations qvam ipsius sensus investigatio. Et si etiam meditationes hasce pro sensu à Spiritu S. intento venditent, non tamen auctoritas Patrum nobis est pro principio quodam Hermenevtico (4) Contractio illa ad foramen ut & Eliæ ac Elisæ super mortuum, admodum inepte ad stabilendam hanc sententiam hic adducitur. Qualis enim hæc est comparatio, qualisque adumbratio? De quà cum ipse Spiritus S. nullibi certiores nos reddat pro sensu quodam Spiritus S. nequaquam habere poterit.

## QVÆSTIO VI.

*An per Verbum abbreviatum intelligatur computus  
quidam præcisus?*

§. I.

**S**ic nonnulli apud Theoph. Raynaud. l. c. & Cornel. à Lap. in Comment. in Jes. p. m. 156. seq. λόγος huncce explicant per rationem si ver ratiocinium, aut supputationem vel computum, quasi voluerit Apostolus dicere: etiamsi numerus Israelitarum esset ut arenæ maris, h. e. immensus; tamen reliquias futuras salvas, quia qui rationes subducit, qui inquam rationem consummat & abbreviat, est DEus ipse. Unde omnes filios Israel exquisitissime numerabit, & paucissimos illos, qui inter immensam pereuntium multitudinem electi fuerint subducet, & salute potiri faciet. Provocantihi interpretes simul ad *Arabes & Syros*, qui salutem paucorum Israelitarum inter innumerabiles pereuntes ex gente loci hujus interpretatione propositam fuisse Apostolo agnoverint. Sententia hæc tribuitur quoque *Gabr. Alvarez*, qui itidem h. l. intelligit numerū aliquem præcisum & exiguum Judæorum salvandorum, qui quasi spicilegium aliquod in regnum Messiae sint colligendi. Eandem sententiam etiam habet *Hugo Grotius* in h. l. vid. Tom. Crit. 2. p. 2376. & cum eodem sentit *Henric. Hammond.* in *paraphr. & annotat. in Nov. Testamentum* in h. l. p. m. 51.

§. II. Sed vero rectissime omnino de hac sententia judicavit *B. Dn. D. Dorschaus* noster in *Analys. Prophet. Jesaiæ* non ita pridem à

C 2

Magnif.

*Magnif. Dn. D. Fechtio nostro, Patre nostro in Christo maxime Venerabili edit. p. 47.* Ubi monet, numerum huncce non fecisse DEum: sed invenisse. Et omnino sic est, qvoniam alias exinde forte seqveretur, Electionis & reprobationis decretum esse absolutum, quale tamen non est: sed utiqve fidem aut incredulitatem finalem prævisam præsupponit, & per conseqvens quoqve hunc numerum. Qvà ratione explicatio hæcce non foret fidei analoga contra Rom. XII.7. imprimis si ab Adversariis nostris proponeretur. *Hammondum hic castigavit Jo. Clericus in animadversionibus suis in eundem cum ipso Hammondo editis l. c. p. 52.* retinens qvidem explicationem de suppuratione, sed ita applicat: quemadmodum qui rationes diligenter subducit expensi & accepti, videt si quid supersit, & etiamsi exigua est summa eam servat, ita DEum sublati omnibus malis, bonos duntaxat, licet perpaucos, servaturum. Explicatio qvidem in se non adeo mala; sed si Arminianorum hypothesi nitatur, nec sic in omnibus tuta: vid. de hac hypothesi in artic. de Prædestinat. B. Dn. D. Christoph. Franck in Exercitat. Anti-Limborch. Exerc. 8. p. m. 393. sqq.

## QUÆSTIO VII.

*Num οὐδὲ hic more Hebræorum denotet rem aliquam  
& speciatim ipsos Judæos?*

§. I.

**S**unt nonnulli qui putant οὐδὲ more Hebræorum hic idem esse ac πεῖραμα, vid. Polium in Synops. in Ep. ad Rom. IX, 28. Vol. 5. p. m. 209. ita & Phil. Melanchthon in Ep. ad Rom. part. 3. Opp. p. m. 1018. explicat. item Zach. Ursin. in comment. in Jes. Tom. 3. Opp. p. m. 415. & Ludov. de Dieu in Crit. S. in Jes. p. m. 198. § 677. Marlorat. in Ep. ad Rom. IX, v. 18 Speciatim vero Cornel. à Lap. in Comment. in Jes. p. m. 156. per rem illam abbreviatam intelligi posse putat, populum Judæorum consumtum, q. d. ita Deus populum suum rescindet ut quod eis erit residuum, videri queat quædam consumtio, & quasi solum vestigium ingentis ruinæ. Eadem hæc quoqve videtur esse sententia Sim. Episcopii qui in paraphr. c. IX. Ep. ad Rom. vol. 1. Opp. part. 2. p. m. 398. hanc loci Apostolici dat paraphrasin: *Ceteros omnes quod attinet, licet eorum turba magnasit, cum iis ita rigide ac severiter (postulante id aequitate*

ac ju-

*ac justitia mea) agam ut nulli superfuturi amplius in terra. Ita attenuabo imminuam dissipabo extirpabo & pessum dabo eos, uti qui amputare arbores solent, qui ramos omnes hinc inde diffusos ita præcise aliquando resecant, ut nihil prorsus ex iis oriri deinde possit.*

§. II: At vero nec hæc interpretatio est conveniens. Nam (1) λόγος hoc loco minus accurate explicatur ex more Hebræorum de re; partim quia verbum pro re Græci dicunt φῆμα, non λόγος, vide Polium loc. cit. partim & quia sic non satis exprimit vocabula Hebræa, quibus Propheta utitur. (2) Neque satis accurate hæc res de populo ipso explicari posset, quia populus est objectum illud, circa quod verbum hocce abbreviatum occupatur. Jam vero actus cum objecto suo non est confundendus. Deinde & interpretatio hæcce minus est analoga fidei, cum rursus absolutum aliquod decretum, aut decretum aliquod intuitu operum factum ex hypothesi Pontificia pro fundamento habeat. Quod tamen fundamentum plane est irritum. vide Systemata in loco de Electione passim.

## QVÆSTIO VIII.

*Num Verbum abbreviatum respiciat deletionem quandam populi Judaici temporalem à Propheta prædictam, & ab Apostolo accommodatam.*

### §. I.

**D**E temporali quâdam deletione explicat locum nostrum Cornel. à Lap. in Comment. in Ep. ad Rom. p. m. 137. & quidem ita ut asserat, Prophetam Jesaiam ad literam loqui de Judæis ex vastatione Senacherib reliquis, q. d. Tempore Ezechiæ vastatio illa Sennacherib, quæ plurimos Judæorum consumpsit & abbreviavit, i. e. paucos fecit, faciet, ut in paucis reliquis Judæorum superstitibus, inundet, i. e. instar aquarum exundantium abundet justitia tum puniens impietatem, tum præmians pios. Provocatur ad eventum 2. Par. XXX, 7. Paulum vero quod concernit, tum idem Cornel. à Lap. docet, allegorice illum hanc sententiam de suis Judæis explicare, q. d. consummatio abbreviata inundabit justitiam i. e. consumam, faciamque finem, & quidem brevissimum Judaismi & Judæorum per Titum, ita tamen ut pauci ex iis relinquantur & convertantur ad Christum &c. Ex Nostrati-

bus quoque nonnulli sic explicant. Sic namque B. Dn. D. Georg. Weinrich. in *Comment. in Ep. ad Rom. part. poster. p. m. 54.* docet, Jesaiam loqui de Judæis ex Captivitate Babylonica reversuris. Apostolum vero mystico sensu innuere quod quantumvis Judæorum ingens sit copia; paucissimi tamen futuri sint, qui exorta Evangelii luce ad Christum accursuri sint salutis consequendæ gratia. conf. & Augustin. Marlorat. in *N. T. Exposit. in Ep. ad Rom. p. m. 66.* ac Martin. Borrhai in *Comment. in Jes. p. m. 131.* Et Jacob. Gussetus in *Comment. Lingv. Hebr. in voce חַלְבָּה p. m. 210.* & in voce חַרְבָּה p. 289. seq. de deletione tantum temporali videtur explicare, dum Hebraicum חַרְבָּה explicat de tribula instrumento apto ad frumenta ita terenda discutienda que, ut palea omnis segregetur, tamenque remaneat granum. Atque eo ipso nunc significari destructionem populi non modo determinatam; sed & totalem docet, exceptis exiguis reliquiis, ita ut consumtio haec sit futura per causam secundam, hostes scilicet ut instrumenta. Et Judæi, ut R. Ambrobinel aliquique de consumptione 10. tribuum saltem explicant.

§. II. Nos quamvis non negemus, & istiusmodi accommodationes in N. T. esse obvias, attamen quod presentem locum concerit, observamus breviter sequentia (1) licet utique concedamus & Prophetam & Apostolum respicere simul interitum aliquem temporalem populi Judaici, ut adeo non haberent Judæi, quod gloriarentur de prærogativis suis, uti jam supra monuimus ubi de scopo hujus dicti quædam diximus. Verum enim vero (2) & id certum est, non respicere Prophetam deletionem illam temporalem ab Assyriis factam: partim quia post fata Assyriorum demum ea quæ hic prædicuntur, eventura erant ut integer contextus satis docet, adeo impletio hujus vaticinii non poterit referri ad tempora *Hiskiae 2. Par. XXX, 7.* quia tum Assyrii adhuc bella gerebant adversus Judæos c. *XXXII, 1. sqq.* partim & quia sic saltem de 10. tribibus hic foret sermo; cum tamen hoc loco & possimum cum tribu Judæa Propheta agat. Sic neque (3) de Judæis ex captivitate Babylonica reversuris Propheta videtur agere. Quippe cuius rei plane nullum reperitur vestigium. Præterea & ex captivitate Babylonica non reliquæ saltem quædam; sed quam plurimi magno cum numero fuere reversi. Sed (4) omnium probabilissimum est, Prophetam Jesaiam suo in loco respicere tempora N. T. in quibus adeo pauci ex Judæis Messiam sint agniti, atque sic salvandi præ iis, qui æternum perituri

perituri quia Messiam repudiaturi essent. Quæque tempora N. T. simul tempus totalis Reip. Judaicæ interitus. Hac ratione (a) omnia quam optime cohærent. Nec obstat tam subito Prophetam sermonem suum commutare, cum notissimum sit, Prophetas occasione qualicunque datâ solere digressiones ad N. T. facere, imprimis & calamitates suorum temporum consolari promissionibus de N. T. & de Messia patribus factis, ut inde colligerent finem reip. Judaicæ, interitumque ejus nondum adesse, præsertim in tribu Judâ, ex qua Messias ille nascendus erat (c) Et Phrasis illa: *in die illa* solet à Propheta de temporibus N. T. accipi vid. c. II, 20. c. IV, 2. c. VII, 21. &c. & (y) reliqvorum verborum emphasis quam maxime correspondet. Quemadmodum cum *Brentio* sat solide commonstrat B. Seb. Schmidt in *Comment. in Jes. c. X, 20. p. m. 114. sq.* Atque ex his nunc (5) sequeretur unum eundemque & apud Prophetam & apud Apostolum esse sensum. Propheta namque vaticinatur, Apostolus vero vaticinii ejusdem ostendit complementum.

## QVÆSTIO. IX.

*Ecquid tandem per Verbum Abbreviatum intelligitur?*

§. I.

**P**er λόγον idem illud *Verbum* intelligitur, quod in immediate antecedentibus Deus dicebatur οὐτελέν consummare. Idque verbum nihil aliud est quam *verbum ultimum, ultima mens, ultima sententia judicialis, ultimum aliquod decretum*, quemadmodum dicimus: *stat sententia daben bleibt*. Quo in sensu & verbum οὐτελέν nomenque οὐτελέας LXX. Interpretes alibi in eodem significatu adhibent. Vide loca clarissima i. Sam. XX, 7. 9. 33. Dan. IX, 27. c. XI, 36. Idem hoc verbum nunc quoque dicitur οὐτετμηνέον præcīsum & abbreviatum i.e. *ultimatum & immutabile*. Hoc verbum autem dicitur Deus facere i.e. exequi, verbum hocce decretorium nunc ultimis hisce temporibus Reip. Judaicæ erit Deus executurus. Ut sensus sit, decrevit Deus ultimis illis temporibus, Messiae scilicet, finem fore Reip. Judaicæ, & iisdem hisce temporibus paucos illos Messiam recepturos salvandos; reliquos vero omnes Messiam malitiose rejecturos æternum reprobando, neque adeo fore populum suum. Atque hæc tempora nunc adesse significat Apostolus, in quibus decretum hoc suum ultimum exēcuturus

cuturus sit DEus, & ob paucos hosce salvandos & reliqvorum vitæ hactenus  
pepercisse DEum : Ex qvo simul seqitur, non habere Judæos jam qvod  
gloriarentur de prærogativis suis carnalibus præ gentilibus.

§. II. Hoc modo græca versio qvam optime qvoqve conve-  
nit cum fonte Hebræo. Sic namqve Jesaias utitur τὸ idqve ex-  
plicat per τὸ Qvod vocabulum itidem interdum denotat aliquid **ultimi**,  
**sive judicium** aliquod **practicum**, sive **decretum**. Ita i. Sam. XX, 33. oc-  
currit pro istiusmodi **ultima**, **certa**, suoqve modo **immutabili animi**  
**sententia**. Præterea & significat **rem decretam**, qvemadmodum Ne-  
bem. IX, 31. dicitur: *non fecistis eos Kalah* i. e. *non in universum per-*  
*didistis eos*, *vi decreti irrevocabilis*, *quod fecistis de iis*. Prouti & vi ra-  
dicis suæ significat in genere id qvod **consummatum**, **perfectumqve**, ut  
nihil ei superaddatur, cum qvo & τὸ **נָהָרֶץ**, prius eo magis confirmans  
qvam optime convenit, qvod **præcīsum**, **decīsum**, adeoqve **ultimatum** qvid  
itidem significat. Qvis significatus, cum omnium optime hic pro præ-  
senti scopo, & connexione videatur locum habere posse, merito cundem  
præ aliis hic tenemus. Atqve sic juxta Prophetam hic est sensus: fecisse DE-  
um ultimum suum decretum de populo Messiam agnituro eligendo ac re-  
liqvis rejiciendis, & tempore Messiæ ultimahuic populo tempora DEum  
adducturum esse. vid. Seb. Schmid in Comment. in h. l. p. 116. seqq.

§. III. Et sic omnia (1) optime secum invicem convenient. De-  
cretum enim DEI utiqve est causa executionis, & electio suo ordine fa-  
cta, de qvo Systemata passim, principium salutis nostræ est. Atqve  
hinc pauci saltem actu ipso salvi fiunt, qvia pauci saltem per prævisam  
fidem in Christum sunt electi. (2) correspondent ipsis vocum significa-  
tibus non coacte., sed sat genuine prolati. (3) convenient etiam cum  
locis parallelis. Sic namqve & alibi hoc decretum ultimis illis tempo-  
ribus Messiæ scilicet de populo dicitur à DEO factum Dan. IX, 27. conf.  
& Jes. XXVIII, 22. (4) convenient qvoqve ipsi eventui, sic ostendit id  
Christus in parabola Matth. XXII, 3. seqq. ubi & Judæi quidem dicun-  
tur votati; sed ob incredulitatem & resistantiam suam finalem qvoad ma-  
ximam partem reprobati, idem clarioribus adhuc verbis ostenditur Matth.  
XXIII, 37. 38. 39. ut alia loca nunc taceamus. (5) Nec analogiæ fidei  
sunt adversa, sed potius maxime consona. Soli enim finaliter creden-  
tes in Christum sunt electi, increduli vero reprobati, qvorum utiqve &  
major est numerus, qvorum autem vitæ temporaliter interdum parcit.

DEUS

DEus propter electos, ut ex exemplo mundi Antediluviani, Amoritarum aliorumque patet. (6) idem & quamplurimi ex Celeberrimis Nostratium interpretibus quoad rem ipsam probant, v. g. *Brentius in Comment. in Jes. c. X.* B. *Egid. Hunn. in Comment. in Ep. ad Rom. c. IX, 28.* *Theodoric. Snepff. in Comment. in Jes. p. m. 187.* B. *Jacob. Weller. in annot. ad Ep. ad Rom. p. m. 571.* ubi & sententiam B. *Rungii pro se allegat.* B. *Dn. D. Calov. in Bibl. illustr. in Jes. c. X, 23.* B. *Nicol. Hemming. in Commentar. in omnes Epp. Apostol. p. m. 106.* B. *Baldwin. in Comment. in Ep. ad Rom. ad c. X, 28.* B. *Dn. D. Dorsch. in Anal. Prophet. Jes. pag. 47.* B. *Dn. D. Seb. Schmidt, l. c.* B. *Dn. D. Varen. noster in Comment. in Jes. c. X. p. m. 295.* B. *Dn. D. Schömer. noster in Exeges. Ep. ad Rom. p. 48.* & Magnif. *Dn. D. Jo. Petr. Grünenberg. noster, Exegeta incomparabilis in Colleg. MS. in N. T. in locum Paulinum, ut alios jam taceamus, docentes, de sententia quadam judiciaria, vel decreto quodam divino hic sermonem esse.*

## QVÆSTIO X.

*Quænam intelligatur terra, in qua hæc debeant fieri?*

§. I.

**R**abbini intelligunt hic potissimum certas quasdam tribus, potissimum 10. illas, in quibus putant consumtionem hancce factam fuisse. Alii vero tribus quidem omnes; sed saltem terram Judæorum hic intelligunt, ut *Hugo Grotius, vid. Tom. 2. Bibl. Critic. p. 2376.* *Henr. Möller. Hamburgens. in Comment. in Jes. pag. 110. col. l. aliique.*

§. II. Sed vero rectius alii de omnibus tribubus, & ubicunque degunt Judæi, explicant, ut *Cornel. a Lap. in Comment. in Jes. p. m. 2157.* *Joh. Coccejus in Jes. Vol. 2. Opp. p. m. 902.* *Forer. in Jes. Tom. 2. Crit. p. 2371.* *B. Calov. in Bibl. Illustr. in Jes. p. m. 70. sq. & in Ep. ad Rom. p. m. 167.* *Emman. Sā in Notat. in tot. Script. p. m. 221.* aliique. Ex reliquiis enim istis redundavit justitia DEI non saltem in unam alteramve terram populi Judaici, sed in universum orbem, utpote in quem etiam omnes tribus fuere dispersæ.

D

QVÆ-

## QVÆSTIO XI.

*Annon Verbum hoc absolutum Electionis & Reprobationis decretum confirmet?*

## §. I.

**D**E tali decreto *absoluto* qvamplurimi ex *Reformatis* Verbum hocce abbreviatum explicant. Sic *Io. Coccejus* in *Comment. in Ep. ad Rom. Vol. 4. Opp. p. m. 523.* hinc exemplum sumit, qvod DEus induret, qvos vult, nempe ex hypothesi sua *absolute*. Et *Ludovic. de Dieu in Critic. S. 5* in locum *Propheticum & Apostolicum* p. m. 198. & 676. sq. itidem de decreto qvodam explicat: sed *absoluto*. Sic & *Christoph. Wittich. in investigat. Ep. ad Rom. p. m. 430.* Verbum hoc abbreviatum explicat de decreto illo dīvino ex communi *Calvinianorum* hypothesi, qvasi in toto hoc capite de electione & reprobatione DEI *absoluta* agatur, ad qvam hypothēsin expresse provocat. Et *Zach. Ursinus* in *Comment. in Jes. Tom. 3. opp. p. m. 426.* explicat de decreto qvodam DEI immutabili, cuius nulla alia datur ratio, qvam qvod absolute ipsi sic visum fuit, & placuit. *Theophilus Raynaudus* in *tr. de Christo DEO homine l. 2. Sect. 5. c. 8. Tom. 1. Opp. p. 203.* huc qvoqve nonnullos refert, qui ita, nempe de *absoluto* qvodam decreto, verboqve definito ac fixo interpretationem videntur facere, quo fere modo *Galli* dicunt, *uno verbo sic placet, il ny a quvn mot, je le veux, cela sera*, qvam interpretationem & approbare dicit *Floraven. l. 1. de Trin. c. 3. ad tert. argum. Arianorum c. Filii Div.* Idem & reliqvorum Commentatorum Calvinianorum est sensus, si forte eadem nobiscum hic utuntur lingua, mente tamen longe alia.

§. II. Sed vero qvamvis qvidem hoc verbum abbreviatum explicetur de qvodam DEI decreto; non tamen (i) intelligendum id est cum *Calvinianis* de decreto qvodam *absoluto*: partim qvia *absolutum* hocce decretum analogiae fidei orthodoxæ in Scripturæ S. sat clare contentæ apertissime contradicit, qvemadmodum Systemata nostra sufficienter satis probarunt: Partim qvia & contrarium ex ipso præsenti loco nostro satis constat. Nam (a) *Consummatio* dicitur *definita inundata justitia*, qvæ non male de Justitia Evangelica explicatur, qvæ non est nisi fide apprehensa. Hanc ergo fidem decretum hoc-

cc

ce habuit prævium, atqve adeo non fuit *absolutum*. (6) Apostolus expresse loquitur de *vocationis* v. 24. eoqve ipso clarissime ostendit, decre-  
tum vocationis antecedere decretum electionis. Jam vero in decreto  
absoluto Vocatio non antecedit, sed demum seqvitur. (7) Apostolus *sub-  
seqv.* v. 30. ex adductis his locis qvoqve conclusionem format, qvod I-  
raelitæ suâ culpâ pereant, qui pereunt, qvodqve aliam captaverint  
viam justitiæ apud DEum obtinendæ, qvam captare oportuit, qvod &  
ulterius *subseqv.* c. X. deducitur. Non ergo *decretem* hic aliquod *abso-  
lutum* habetur; sed tale, qvod vel fidem, vel incredulitatem & impœ-  
nitentiam præviam habuit. Tale autem decretum non est *absolutum*  
sed omnino *conditionatum*. Atqve in hoc sensu rectissime etiam  
sententiam illam de *decreto* qvodam in hoc loco contra *Ludov. de Diez*  
*Calvinianum* rejecit & refutavit *B. Dn. D. Habichborst.* in *Illustrior.  
Isaiæ Locis Decad. 3. loc. 6. §. 4. sqq.* (2) Neque etiam ex sententiâ illa  
de decreto in praesenti loco seqvitur, totum *caput IX. Ep. ad Rom.* de  
decreto hocce agere, uti qvidem Calviniani volunt. Nam à parti-  
culari ad universale, à sensu unius vel alterius versiculi ad sensum totius  
cap. N. V. C. imprimis &c, cum Apostolus hoc dictum non ut suum  
sed ut à Prophetâ Jesaia primo prolatum allegaverit.

## QUÆSTIO XII.

*Num explicatio hujus loci patrocinetur Termino  
Gratiæ peremptorio?*

§. I.

**R**ecenti adhuc memoriæ nostræ inhæret infausta illa de *Termi-  
no Gratiæ peremptorio* controversia, dum nimirum nonnulli  
docuerunt, cuivis homini, imprimis vero homini *maxime*  
indurato à DEO certum qvendam gratiæ terminum esse positum  
eoqve elapso nullam amplius supereesse gratiam. Cum autem *B. Seb.  
Schmidt* in *Comment. in Jes. p. m. 117.* in explicatione præsentis loci  
nostrî *decretem* illud *irrevocabile*, sententiam illam *ultimam* de Ju-  
dæis incredulis vocaverit *decretem* aliquod *peremptorium*, hinc &  
pro probando termino illo gratiæ ad hanc explicationem qvoq; provo-  
catū fuit, partim à *Magnif. Dn. D. Rechenb.* in *Disp. de Grat. revocatr.  
term. Lips. A. 1700. hab. §. 39.* partim à *Dnn. Lipsiens.* in *responso suo*  
qvod exhibit *Dn. D. Reckenberg* in der ersten Beilage / vid. p. 6. sq.  
partim

D 2

partim

partim à Dn. M. Job. Georg. Böse in *Apologia Responso Rostochiensi opposita*, qvæ habetur in scripto sub tit. *Responsa in Sachen Johan Georg Bösenß Hale Anno 1700. edit. ubi p. m. 77.* explicatio hæc Schmidiana allegatur. Sed sufficienter satis dubium hocce solvit *disputatio illa de Novatianism. tam veteri quam recenti cum discuss. problem. de term. peremptor. gratiæ Revoc. sub Præsid. Magnif. Dn. D. Schelgvig Gedani Anno 1700. hab. §. 8.* Adversus qvæ quidem excipit qvædam Paul. Matthias Engel / seu potius Magnif. Dn. D. Rechenberg genuinus Autor *Epistole illius ad B. Dn. Rostochiensem Lips. Anno 1700. edit. p. m. 14.* Attamen & ab aliis qvoque contrarium ad oculum satis est ostensum. vid. Dnn. *Wittebergenses in responso suo Theol. quod B. Dn. D. Neumann. exhibet in fine scripti sui: Erörterung der Frage vom Termine sal. perempt. sive dispp. 2 de hac mater. hab. 5 germ. vers. vid. p. 108.* qvicqvid etiam opposuerit Dn. D. Rechenb. in den Anmerkungen über das Wittenbergische Responf. p. 47. sq. qvæ annotationes annexæ sunt der andern Beilage. Contra Bössi allegationem defendent se Dnn. *Rostochienses in der Beschirmung ihres Responsi pag. 329.*

§. II. Verum enim vero nec (1) sententiæ illi de gratiæ termino peremptorio patrocinatur explicatio illa loci præsentis hactenus allata. Nam (1) *Spiritualia* qvod concernit, hic plane non agitur de termino qvodom hac in vita posito, quem secus sentientes propugnant; sed de decreto qvodom ultimo & irrevocabili quidem; sed tamen & fidem & impoenitentiam finalem Judæorum illorum temporum respiciente. Qvod autem decretum ab æterno fuit factum, & post hanc vitam executioni datur. Imo (2) plane contrarium ex decreto hocce patescit. Versatur qvippe, rejectionem quidem qvod attinet, circa eos, qui ad finem usqve vitæ suæ Messiam in ultimis illis temporibus repudiaturi. Non ergo terminus aliquis gratiæ potuit positus fuisse, gratia enim illa, quam ad finem usqve vitæ rejecerunt, consuevæ qvoque debuit oblata fuisse, & per consequens in hac vita non habuit terminum. Conqueritur Stephanus *Att. VII, 51.* & ipsos inducatores, de qvibus potissimum hic quæstio est, NB. PERPETUO resisteret Spiritui S. necessario ergo perpetuo Spiritus S. debuit adfuisse. Atqve hæc est gratia oblata, cuius adeo non poterit statui terminus, qvippe perpetua fuit. (3) Decretum illud, de quo in hoc loco agitur,

agitur, factum fuit ex voluntate DEI consequente; qvæ accurate loquendo non versatur circa media ratione oblationis, (qvod est voluntatis antecedentis.) Sed ratione applicationis spectata, qvomodo nimur ab hominibus vel applicantur vel non. Atq; sic DEus utiq; per voluntatem suam consequentem potuit judæos Messiam verâ fide finaliter recepturos ac retenturos, & finaliter repudiatus, vel eligere vel reprobare irrevocabiliter ac immutabiliter, & nihilominus tamen per voluntatem suam antecedentem potuit decreuisse ad finem usque vitæ hujus, & perpetuo in hac vita Messiam proponere in verbo, atq; sic salutis media, ipsamq; adeo gratiam offerre. Quemadmodum & reapse factum fuit, dum Evangelium ad usque excidium Reip. Judicæ fuit prædicatum, & contumacissimi Judæi ad finem usque vitæ suæ in terra Evangelium de Christo audiverunt. conf. & loca Jes. LXV, 2. Matth. XXII, 3. sqq. c. XXIII, 37. &c. (4) Si ex decreto electionis & reprobationis sequeretur terminus gratiæ, terminus hicce omnibus & singulis hominibus datus esset. Qvod tamen deprecari videntur illi, qvi potissimum de solis induratis & excœcatis peccatoribus volunt loqui, qvales tamen non omnes sunt, qvi damnantur. Nec (II) Speciatim locutio illa Schmidiana, qvæ potissimum hic attenditur, in qua decreti alicujus peremptorii fit mentio, sententiæ huic de termino gratiæ peremptorio patrocinatur. Nam (1) non loquitur de termino qvodam gratiæ in hac vita, sed in altera vita, aut si de hac vita loqueretur, non de subtractione gratiæ; sed de deletione Reip. Iudaicæ intelligendus foret. Qvæ vero deletio saltem temporalem & carnalem qvandam prærogativam respiceret. Neutro vero modo attenderetur status controversiæ (2) per decretum suum non aliud intelligit, qvam quemadmodum communiter orthodoxe contra Calvinianos explicari solet. Qvomodo autem ex hac explicatione terminus gratiæ plane non sequatur, ex modo jam dictis patebit. Vocat autem decretum hocce peremptorium, non in alio sensu, ac se ipsum explicat, prouti nimur idem ac irrevocabile, ultimum, sive ut communiter alias Theologi loqvuntur, immutabile. Atq; hæc est communis illa Theologorum de decreto electionis & reprobationis doctrina, ex qvâ tamen terminus gratiæ non sequitur, ut jam monuimus. Alias B. huncce Theologum termino gratiæ peremptorio plane non favisse, ex aliis ejusdem locis sat clare jam probatum

D 3

est

est à Dnn. Wittebergensibus in responso jam citato. conf. & Admod. Rev. Dn. M. Christ. Reinecc. in Bosianism. per responsa & testimonia Theolog. condemnat p. 381. sqq.

## QVÆSTIO XIII.

*Num in Paulino textu, ut nunc quidem habetur, absurdum allegata sit LXX. Interpp. Versio?*

### §. I.

**O**namadmodū quidem *Paulus* locum huncce ex *Jesaiā* allegavit, reperitur & ille in *Versione græca LXX. Interpp.* excepta particula ὅτι, qvodqve apud *LXX.* habeatur, ē τῇ οὐκείμενῃ ὁλῇ. Hinc *Hug. Grotius* in *Ep. ad Rom. Tom. 4. Crit. Anglican.* p. m. 2706. docet evidentem hic esse trajectionem, & recto ordine τὸ ὅτι debere præcedere, item in *Paulino* textu, qvalem nunc habemus, satis absurdum esse, poni primum χαρά, deinde ὅτι, & omnino hanc lectionem interpolatam esse ex *LXX.* Veterem autem lectionem extare in *Mst. Alex.* & sic habere: Νόην χαρά συντελῶν καὶ συνέμενων ποιήσει κύριον Τὴν γῆς γῆς eaqve sufficere putat, satisqve exprimere id, qvod vult *Esaias. conf. & Jo. Mill.* in *N. T. in notat. ad c. IX, Ep. ad Rom. p. 444. Christophorus Wittich.* in *investigat. Ep. ad Rom. in h. l. p. m. 427. & 429.* putat, Apostolum ex memoria hæcce citasse, indeqve ordinem invertere.

**S. II.** Jam eqvidem nonnullorum est sententia, Christum & Apostolos in citando V. T. semper secutos esse *LXX. interpretes*, qvamvis alii contrarium tueantur, vid. *Matth. Petitdidier. in dissertat. Histor. Critic. in S. Scriptur. dissert. 8. p. m. 68. sq. Richard. Simon. in Opusc. Critic. advers. Is. Voss. r. m. 74. sq. Io. Henr. Hottinger. in Thesaur. Philol. l. 1. c. 3. qu. 11. p. m. 330. sqq.* ut alios nunc taceamus. Communior tamen Nostratum est sententia, Spiritum S. in N. T. interdum usum esse versione hac, interdum vero non, vid. *B. Calov. in Critic. S. diatr. 11. p. m. 496. sqq. B. Pfeiffer. in Crit. S. c. 11. qv. 4. p. m. 455.* idem qvoqve sentiunt *Hottinger. l. c. & Jo. Leusden. in Philol. Hebreo mixt. dissert. 4. qv. 19. p. m. 34.* Alii distinguunt inter versionem vulgatam & *LXX.* Hinc *Hammondus in præsentem nostrum locum in Annot. ad N. T. Tom. 2. p. m. 51.* putat vulgatam

Vulgatam hujus loci lectionem, qvæ ita orditum: λόγος τὸν catenus esse veram, sed videri in seqventibus voces nonnullas è LXX. intt. huc esse translatas. Alia adhuc de hac distinctione habet Joseph. Cooper. *Anglus in Domus Mosaicæ clave pag. m. 227. seqq.* Qvicquid sit, prolixius hac vice de Versione illa Græca ipsa non disputabimus, præsentem nostrum locum qvod concernit, tum quidem ex collatione cum versione illa græca videtur apparere, eum ex eadem esse allegatum. Attamen ita, ut dicamus (I) absqve ulla absurditate sic in præsenti textu, ut quidem nunc habetur, legi. Qvæ Grotius adduxit, ita sunt comparata, ut (1) sufficienti destituantur probatione. Sic namqve recte monet Joh. *Clericus in castigationibus Hammond.* in b.l. male hunc locum emendari ex uno Codice Alexandrino, adversantibus ceteris omnibus codicibus & priscis interpretibus. Qvod si autem emendanda foret LXX. *Viralis versio*, potius id ex Codice græco N. T. Θεοπευσίᾳ qvoad præsentem loēum fieri oportet, qvam ex qvovis alio MSto. (2) ut plane falsa nitantur hypothesi, nempe corruptione fontium. Qvæ tamen satis jam est refutata. (3) ut conciliatio qvædam facile possit dari, si nimirum saltem subintelligatur vocula: 'Εστι, vel capias participium pro præsenti ex Hebraismo. vid. Dan. Heins. in Exercit. Sacr. ad N. T. l. 8. c. 4. p. m. 433. Et contra Grotium conf. B. Calov. in Bibl. Illustrat. in locum Apostol. p. m. 167. Joh. Coccej. in Ep. ad Rom. vol. 4. Opp. p. 525. Wittich. l. c. p. 430. Dicimus & (II) Non ita ex memoria hæc recitavit Apostolus, ut propterea mutatio qvædam inde orta. Sic namqve inde lapsus qvidam memoriarum seqveretur, qui tamen cum immediata Θεοπευσίᾳ stare nequit. vide Systemata passim.

## QUÆSTIO XIV.

*Num LXX. Interpretum versio hic allegata recte respondeat fonti?*

§. I.

**B**ea in notis in N. T. in b.l. non adeo bene de versione hujus loci judicat. *Nemo, inquit, inficiari potest, Græcos interpretes negligenter admodum, qvod ad voces ipsas attinet, hunc locum convertisse.* Contra quem autem versionem hancce prolixius defendit Ludov. *de Dieri in Critic. S. in Animadvers. in Jes. X.p. m. 198.*

§. II Nos

§. II. Nos qvamvis qvidem facile concedamus, *καὶ μόδα* in hoc loco *LXX.* *Interpretes* fontem Hebræum non fuisse secutos. Attamen rem ipsam qvod concernit, sensus Prophetæ utique est expressus, uti ex collatione illa supra jam instituta patere potest. Sic qvoqve judicat de hoc loco *Phil. Melanchthon* in *Comment. in Ep. ad Rom. part. 3. Opp. p. 1018. B. Calov.* in *Bibl. Illustr. in Jes. p. 71.* *Henr. Moller. Hamburgens.* in *Comment. in Jes. p. m. 110. col. b.* Prolixiorē qvoqve collationem hic instituit, explicationemqve addit *B.Dn. D. Habichhorst. noster* in *Illustrior. Jesaiæ locis Decad. 3. loc. 6. §. 9. conf. & B. Dn. D. Varen.* in *Comment in Jes. cap. X, p. m. 295.*

## QUÆSTIO. XV.

*Num & B. Luther. noster locum præsentem recte verterit?*  
§.

**I**N Versione loci Apostolici *B. Lutherus* noster eandem ferme retinuit versionem, qvam & in versione loci Isaiani fecerat, & potissimum respexit significatum vocis Hebr. כָּלֵוֹן & כָּלָה Cumqve *B. Lutherus* non saltem paraphrastes, sed & Metaparaphrastes fuerit, hinc sensum tam in versione loci Prophetici qvam Apostolici non male expressit. Id enim exponit, qvod revera in decreto divino habebatur. Qvod & *Glossa Marginalis* eo magis confirmat, qvæ ad c. IX, Ep. ad Rom. v. 28. Ita: Ob wohl das mehrer Theil dahin fällt und ungläubig bleibt / wird er sie doch nicht alle lassen also fallen/ sondern die übrigen erhalten / und durch sie sein Wort und Gnade desto reichlicher aussbreiten / dadurch sie gerecht und herrlich werden. Non ergo habet *Sixtinus Amama*, qvod in *Antibarbar. Bibl. l. 4. p. m. 650.* asserat, *Lutheri interpretationem qui defendat nullum se videre*; cum tamen defensio qvædam utique locum habere possit. Neqve meliorem versionem germanicam hujus loci hâc Lutherana habemus. *Caspar Ernst Triller* in der Untersuchung des N. T. p. m. 380. sqq. ita vertit: Weil der HErr ein abgekürztes Wort wird machen auff der Erden. Qvæ autem versio qvidem est à verbo ad verbum; sed germanice nullum dans sensum: Pariter & obscure ac mutile vertit *Jo. Henr. Reitz.* in versione sua N. T. p. m. 321. Der HErr wird ein abgeschnittenes im Lande machen. Atqve hâc vice nobis sufficient. Nos interim canimus:

*SOLI DEO GLORIA.*

# *Ad Nobiliss. & Clariss. Dn. Respondentem.*

**I**Ta apud nos per aliquot annos vixisti, optime AURELI, ut æquam pietatis & industriæ laudem apud omnes obtainueris. Modesta & sedata vivendi ratio, quæ si à Theologiæ cultore absit, frustra successus & fructus à DEO benedictus expectari potest, omnibus jamdiu innotuit. De diligentia Tua in ponendis veræ Theologiæ fundamentis & proseqvendis eum in finem variæ generis studiis cum cæteris hujus Academiæ doctoribus testis ego quoque nequaquam fallax esse possum. Vidi Te quotidianie inter discentium cœtus, non oculis tantum meis obversantem, sed & attentioni quam maxime deditum. Quæ singula nunc publica Disputatione, in qua profectus Tuos omnibus palam facies, quasi obsignabis. Quam itaque opem ædificandæ brevi patriæ Ecclesiæ facis, eandem & Tibi & illi ex toto animo gratulor, utque in patriam, utinam brevi omni periculo liberandam, feliciter redeas, devotis precibus à DEO exopto. Scr. XIX. Junii MDCCX.

**JO. FECHT. D.**

---

**NOBILISS. ac CLARISS. DN. RESPONDENTI**

S. P. P.

**PRÆSES!**

**N**on nobis vivimus hoc in mundo, sed aliis, quibus inserviendo luminis accensi instar utique consumimur. Hic finis quoque Studii præsertim Theologici nostri debet esse, in quo non nobis; sed DEO & proximo prodesse, summum nostrum merito est studium. Dona quippe nostra non nostra sunt, sed aliunde ea accepimus, cœlitus data. Hi ergo rivuli non sibi fluant, aut in se ipsos; sed in mare illud, ex quo profluunt, aliorum rivorum instar insinuare rursus sese tenentur, in gloriam nimirum DEI Ecclesiæque, quæ DEI est, usuna. Optima ergo laude ornandus es Clariss. DN. AURELI, quod & tu scopum huncce præfixum conatibus tu-

E

is ha-

is habeas. Adspirante Divina Gratia plane egregios in studio Theologico fecisti progressus, magna cum diligentia ei operam navando, & diligentiae sinceram probitatem jungendo. Nunc & publico quodam specimine prodis praefixum illum scopum, quomodo nimirum non tibi, sed aliis, imprimis DEO, Eiusque Ecclesiae in servire gestias. Age! ulterius sic pergas, & quando tandem, DEO sic dante, nobile aliquod Almæ Ecclesiae Suecicæ, à qua & Orthodoxa Germanica nostra maxime afflita bona quævis sibi promittit, Lumen evades. Begnignissimum illud Numen hanc ad metam porro laudabilissima conamina tua omnia quam benevole dirigat, omniqve exoptata tam corporis quam animæ prosperitate beat Te quam largissime. Ceterum in DOMINO Vale, faveque

Scribbam Rostochii d. 26.

Jun. A.O. R. 1710.

Claritatis T.

Addictiss.

## IN HONOREM

Præstantissimi, Ornatiſſimi atqve Politissimi Viri-Juvenis

*Domini Respondentis Joannis Aurelii,*

Amici & Consangvinei perdilecti, jamq; à primis  
annis bene noti Amica manu subjecit.

**U**na virtutis arduæ datur via: Per labores ad honores; Per aspera ad planiora: quam Tu, amice infucate, nunquam non ire perrexisti. Laborem tuum in studiis indefessum ipse contestari possum, qui una Tecum communia ac amica in Scholis & Academiis, tam præsens, quam absens, habui studiorum commercia; Iniquus igitur in Te esset, si, prætermissa hac occasione, Tibi laudabile illud studiorum tuorum specimen, quod ex Fonte Sacro haustum jam jam defendendum prolaturus sis, ex animo impense non gratularer. Certo perswasus, insignem exinde Ecclesiae Patriæ nasciturum fructum & utilitatem, magnum Vener: Parenti Tuo Solarium, omnibusq;: Tibi bene cupientibus gaudium. Via hoc, mi AURELI, qua incedere coepisti, perge! Deus Ter Opt. max. Tibi aperiatur benedictionis sua Fontem; Idemq;: Te custodiat. felici successu ducat & in patriam reducat! Scrib. festinanti calamo Lundby Wåtlehårgå St. V. die XX.  
Apr. Anni MDCC.X.

Gratulabundus licet occupatissimus,

*LAUR. BRUHN.* Vice Pastor Loc.

**A**URELIUS der will heut zur Catheder gehen /  
Und der erhabne Geist / eilt nach berühmten Musen,  
Die Weisheit von Athen, und was von alten Drusen  
Der Römer Fleiß gesetzt / kan hie zusammen stehen.  
Und darum fehlt es nicht ar guldne Jasons Bliesen /  
Der Purpur selbsten muss / auff allen Seiten bleiben/  
Ja selbst die Ewigkeit soll hie ein Denckmahl schreiben  
Und Arons Balsam kan sich tausendfach ergiessen :  
Und also bleibts dabei man muss die Früchte sehen /  
Die deine muntre Zweig bey vollen Ästen führen /  
Drumb will ich nur zum Schluss annoch diß Wort bes-  
ruhren :

AURELIUS der will heut zur Catheder gehn.

Mit diesen wenigen hat seine sonderbare Affection  
und Schuldigkeit gegen dem Hrn. Respondenten  
als seinen wehrtsten Hrn. Landsmann contesti-  
ren wollen.

Rostoch. d. 20.  
Junii, Ao. 1710.

**J. P. PAULIN.**  
Goth. Svev. L.L. Stud.

## MONSIEUR!

**I**Es richesses & les plus pretieux, qu'un jeune homme  
puisse acquérir dans le monde, sont, selon le sentiment des  
personnes les plus éclairées, la science & l'etude de belles let-  
tres ; ainsi qu'il n'y a personne qui puisse sans grands travaux & de  
longues veilles en recueillir des fruits, qui meritent l'applaudissement  
de ceux, qui en sont venus à bout. Oufc, ait par experience, que  
tous ceux qui briguent ce degré d'honneur ne peuvent point y monter  
sans être favorisé des dons & des talens particuliers de la nature  
aussi bien que d'une patience constante de souffrir toute sorte d'in-  
commodité. Voila ce que c'est, mon cher Frere, qui rend ma joie  
parfaite, en voyant manifestement les faveurs & les liberalités, que  
b Autheur


L' Autheur de l' univers a repandu sur votre esperit , de sorte que je  
puis dire à votre louange & avec justice que depuis votre bas age  
vous aves toujours donne des marques authentiques de votre emula-  
tion , & vous aves emplojé tous les soins imaginables à vous procurer  
toutes les lumieres requises pour parvenir à la connoissance du sujet de  
votre bonheur & de l' unique objet de vos esperances . L' ay beau faire  
de vouloir mettre au jour l' effect de toutes veilles , les theses que vous  
allez soutenir nous en laisent des preuves convaincantes & en rendent  
un temoignage effectif , aussi bien que le commun consentement , de tous  
le grands hommes , sous lequells vous avec tant profité , non seulement  
dans la plus fameuse universite de la patrie , mais aussi dans celle ci ,  
qui par l' eclat de ses grands Docteurs , vous a obligée , malgre tout l'  
obstacle du monde , a lui rendre la seconde visite . Enfin pour eviter  
la jalouse des envieux , le etroit lien du sang ne me permet point de  
vous donner de l' encens selon vos merites , & mon peu d' eloquence me  
le defend absolument , c' est pourquoi je me contente de vous feliciter  
de l' accomplissement de tous vos grands desseins & des presens que  
Pallas vous va offrir en recompense de vos labeurs . En attendant , je  
souhaite que le ciel accomplisse tous vos desirs , & vous fasse meriter  
dignement les lauriers dont Apollon doit vous embellir & vous accorde  
sin tout ce qui vous peut procurer l' approbation de Dieu & hommes , je  
vous prie d' etre persuadé , que je ne cesserai jarmais de vous donner  
des preuves certaines , que je suis beaucoup mieux que je ne scaurois vous  
exprimer avec toute la sincerite possible

à Jönköping d. 4.

Maij 1710.

Monsieur Mon cher Frere  
votre tres affectioné & tres oblige Serviteur.

ANDRE AURELL.



Coll. diss. A. 172, 42